



R. BELLARMINI

OPERA OMNIA

1

BX890  
B383  
v.1

007939



EX LIBRIS  
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ  
Episcopi Leonensis



1080015572

BELLARMINI OPERA

25  
250  
L.

VEN. CARDINALIS

# ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

## OPERA OMNIA

EX EDITIONE VENETA, PLURIBUS TUM ADDITIS TUM CORRECTIS,  
ITERUM EDIDIT

JUSTINUS FÈVRE,  
PROTONOTARIUS APOSTOLICUS

TOMUS PRIMUS



PARISIIS  
APUD LUDOVICUM VIVÈS, EDITOREM

VIA DICTA DELAMBRE, 43.

1870



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON  
Biblioteca Valeriana y Tolosa  
Biblioteca Universitaria

44629 - 640

BX 890  
B383  
v. 1



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

44824

DEO OMNIPOTENTI MAXIMO  
CHRISTO SALVATORI ET SPIRITUI SANCTO  
IMMACULATÆ VIRGINI  
MATRI MIRABILITER ASSUMPTÆ  
PIO PAPÆ NONO  
PASTORI PERSONALITER INFALLIBILI  
BENEFICIORUM MEMOR GRATI ANIMI MONUMENTUM  
HÆC OMNIA BELLARMINI OPERA  
DEVOTO DICAT CORDE  
EDITOR

JUSTINUS FEVRE  
PROTONOTARIUS APOSTOLICUS.

007330

## EDITORIS PRÆFATIO

---

Hoc erat in votis, vigesimo abhinc anno, ut omnia, genuina et completa Bellarmini Cardinalis opera, iterum atque iterum edere possemus. Cum enim, theologus junior, ad doctorum libros, manus et oculos admovere cœpissem, nihil suavius et optabilius videbatur, quam ut, post lectum Aquinatem Thomam, erudita Suarezii placita et fusas Bellarmini demonstrationes, perlegere liceret. At, proh dolor! aberat Suarezius et frustra desiderabantur Bellarmini volumina. Hi doctores, qui, cum Thoma et Delugo, principum theologiæ quatuorvirum, ut ita dicam, constituunt, licet excellentes et laudibus superiores, multis ab annis jam non fuerant in Gallia editi, et eorum opera, a Gallicanis novatoribus proscripta, incassum requirebantur. Quapropter, ut juvenilibus desideriis satisfacere aliquo modo permitteretur, indaganda erant veterata volumina, blattis et tæniis diutius tradita, et sic ea undequaque perquirendo, parabantur elementa ut novæ brevi eruerentur editiones. Nunc temporis — et ob hoc beneficium, Deo gratiæ referantur amplissimæ — dum Delugo septem tomis recuditor; dum Angelicus doctor, spissis triginta voluminibus, ut decet, paratur; Suarezius tribus et viginti tomis constat, et Bellarminus adest totus et in brevi edendus. Multi cæterum in lucem prodeunt theologi et canoniste, Petavius scilicet, Thomassinus, Thomas ex Charmes, Lacroix, Reiffenstuel, Salmanticenses et alii optime merentes, quos non memoro, quia in omnium mente vigent. Et si in memoriam revocantur nuper edita Sanctorum Acta a Bollandistis conscripta et Baronii Cardinalis Annales Ecclesiastici, et alia plura, nostris editoribus prorsus laudanda, vix relinquitur desiderio locus et indefesso presbyterorum labori copiosa defertur materia.

Quoad Bellarminum, ut de ejus operibus et de præsentis æditionis œconomia, ut dicunt Græci, sapienter judicetur, plura sunt prænotanda, quæ breviter referemus.

### § I.

#### *De Bellarmini excellentia.*

De Bellarmino hæc habet Neapolitanus editor : « Cum mihi proposuerim, artificium typorum, quo perditissimi homines miserimis hisce temporibus ad omnem impietatem et morum labem disseminandam maxime abutuntur, pro mea virili parte, ab infamia et dedecore vindicare, inque christianæ rei emolumentum pietatisque cultum amplificandum unice convertere ; diu anceps animi pependi, quodnam potissimum tot inter egregia opera seligerem quo facilius optatum fructum, uberrimamque frugem consecuturum me fore sperare possem. Ex hac dubitatione doctissimi piissimique viri animum meum expedivere, qui omnes id consilium obtulerunt ut, cæteris posthabitis, in Bellarmini operibus consisterem. Quid enim accidere posse fortunatius plebi christianæ, quid opportunius culturæ animorum, quam clerum sortiri omni sapientia et pietate ornatum ? Quapropter optimam me operam in communi Christi cultorum bono promovendo collocaturum, si quid in publicum conferrem quo doctior sanctiorque Clerus evaderet. Nec tamen directe mihi magnopere de pietate laborandum esse, (licet neque neglexerit in suis asceticis opellis cœlestis delibutis dulcedine V. Bellarminus) cum tot prostent, apud bibliopolas quosque pii libelli, nec quisquam sit sacris initiatus cui talium non suppetat ingens copia. Desiderari adhuc a typis nostris opus quod universam, aut certe potissimam, doctrinam catholicam complectatur, ut nihil opportunæ eruditionis desit, idemque tanta facilitate ad omnimodam sapientiam iter munitet, ut nedum celerrimis ingeniis, sed etiam tenui cuique accommodatum videatur. Hanc porro doctrinæ amplitudinem tantam cum mira quadam intellectus facilitate, utam Robertum Cardinalem Bellarminum assecutum esse in suis doctissimis controversiis non secus ac cæteris quibusque operibus quibus Purpuram illustravit. Quocirca si rem acceptissimam universo clero facere velim, maxime junioribus, si eorum eruditioni consulere, iisque veluti instrumenta præbere quibus Cœlestis Domini campum omni arte operari et excolere

valeant, nihil dudum morarer Bellarmini opera typis meis iterare. Nefas ex istimavi ab eorum sententia, quorum auctoritas tanta est, vel arcum unguem recedere. Itaque in id statim incubui ut quantocius quod ii suaderent, opere perficerem (1). »

Elogia hæc quam sint vera facile demonstratur. Primo, si doctrinæ puritatem spectes et scientiæ abundantiam, nulli cedit Bellarminus. De multis quæstionibus a pseudo-reformatoribus agitatis, in primis scribens, nunquam offenso pede graditur, nunquam ad privatas opiniones deflectit, nunquam utitur sive probationibus dubiis sive ratiocinatione obscura ; sed semper regali Romanarum sententiarum via procedens, tum Scripturæ sacræ textibus, tum Traditionis monumentis, neotericos arguit, novas detegit inventiones, captiosæ destruit argumenta, errori tandem veritatem integram opponit et theologi munus sic adimplet ut videatur quasi novus David Philistinorum gigantes humi sternens aut velut novus Thomas pura scholis præferens lumina.

Secundo, si methodi securitatem consideremus, non minoris fiunt Controversiæ. Quamvis enim Disputationum titulo inscribantur, non ita disputant ut fidei rationem substituant, libertatem auctoritati. Adversus Protestantes agens, non libero Bellarminus prævalet examine, sed libertinorum insidiis se subripiens, Librorum Sacrorum pollet oraculis, Patres longo agmine profert, a Verbo Dei revelato principium sumit et sic argumentatur ut semper erranti præbeat, pro pædagogo, Jesum Christum.

Tertio, si veritatis evolutionem peroptamus, quis non Bellarminum miretur ? A Sancto Thoma, est facile unus e Theologorum principibus. Siluerat Angelicus Doctor, de Religionis Christianæ divinitate, de divina Christi Ecclesia et de multis quæ Theologiæ prolegomena dicuntur. Tunc temporis, tredecimo scilicet seculo, fides valebat, moresque, si non semper observabantur ad amussim, saltem semper corrigebantur pœnitentiæ virga. Ecclesia cæterum, ut mater honorata, non frustra suo jure nitabatur, nec in vanum sacra prædicabat officia. Tria autem post secula, post Lutherum, post Calvinum et totam reformistarum colluviem, jam non servatur analogia rationis et fidei ; jam non habetur Ecclesia ut columna et firmamentum veritatis ; jam non veneratur Religio ut lex divina omnes sibi tum leges particulares, tum instinctuum cupiditates subjiciens. Unusquisque est sibi suus papa ; unusquisque, pro ficto personæ solius jure, sibi religionem humanam fabricat et proin Ecclesiam Catholicam rejicit ; unusquisque, ex ordine gratiæ supernaturali cadens, ad corruptum naturæ lapsæ statum se accommodat, sibi hanc dejectionem ut ascensionem vindicans. Ad hæc Bellarminus christianam veritatem opponit et tractatus ædificat, qui sint, in futurum, probatæ veritatis et morum regulæ. Venerabilis enim Cardinalis noster,

(1) *Disputationum Bellarmini* tomus I, Xisto e Ducibus Riario Sforza epistola dedicatoria.



non descendit, ut Scholastici (et hoc dicatur absque censura) ad quæstiones innumeras, ut rectas speculativæ scientiæ formulas definiat; sed, licet omnes defendens veritates, præsertim de practicis doctorum officiis disserit, atque ante omnia, Ecclesiæ Catholicæ et Sanctæ Apostolicæ sedis prerogativas vindicat. Sic Protestantismi portentosis erroribus objicitur; sic sæculi malis remedia præbet et in futurum apparet ut semper beneficus pastor.

Cum enim, luctuosis hæc nostris temporibus, quæ sint veritatis pericula inspicimus, clarius luce videtur pericula hæc nefanda, ex uno fonte oriri, scilicet naturalismo, id est, hæresi contra ordinem tum naturalem tum supernaturalem quorum distinctionem, conjunctionem et subordinationem negant. His positus, homo non potest intelligere ut bene agat; mente corrumpitur et in suo corde vociferatur: Non est Deus! tandem se comparat jumentis insipientibus, similis fit illis, et cum in profundum venerit, contemnit. His opponit Bellarminus præsertim sacra summorum Pontificum jura, ostendens Petri successorem ut Christi vicarium, ut Christum in Vicario permanentem et proinde ut infallibilem omnium magistrum. Quare, ut in medio Tridentino Concilio, prope Scripturam sacram, reponeretur Theologica Doctoris Angelici Summa, sic nobis prorsus credibile videtur Bellarminianas Disputationes Vaticani Concilio adfore, definiendas veritates ut indicant et canones dicent. Nostri temporis sic evadet Bellarminus præcipuus doctor et coætatorum Theologorum princeps.

Et ut ad particulare punctum deveniamus, nobis arripit spes omnino certa, Bellarmini doctrinam de infallibilitate Papæ, a sacrosancta Vaticani Synodo, ecclesiastice, ut de fide, definiendam. Hucusque de fide divina tantum erat, ex Scripturis, ex Conciliis et Patribus, ex sensu Ecclesiæ et consensu Theologorum, etiam ex ratione et ex quasi necessitate, Summum Pontificem ex Cathedra, ut aiunt, loquentem, esse non solum indefectibilem, sed personaliter infallibilem. Ut autem tollatur dubitandi locus, ut lethalibus gallicanismi placitis radix præcidatur, Concilium, si spiritui qui loquitur in nobis credimus, expressis terminis decretum feret quo definietur esse veritatem catholicam et inconcussam dogma: Pontificem Romanum, ex cathedra loquentem, non esse erroris obnoxium, et quæcumque in materia fidei aut morum, damnat et reprobatur, decernit et præcipit, etiam inconsulto episcopatu, hæc ab omnibus Christi fidelibus, etiam ab episcopis, vel credenda et absolute retinenda, vel rejicienda et illico damnanda. Sic fantur oracula divina; sic habet universalis et constans traditio; sic volunt piorum corda, familiæ honos, societatis bonum et summopere optandus Ecclesiæ triumphus, cum omnia divina et humana susdeque vertuntur.

Atvero, cum ad tempus præteritum redimus, ut canonicos interrogemus Bellarmini

judices, omnes uno ore inclita illius merita clamant. Multa dantur, a Philippo Alegambe et Nathanaele Sotuello, in Epitome vitæ Bellarmini, contemporaneorum testimonia. Hic revocantur tantum canonicæ approbationes.

Opus hoc R. P. Roberti Bellarmini, Societatis Jesu, quoniam omnes Christianæ Fidei Controversias adversus hujus temporis hæreticos, ita copiose, orthodoxe, erudite, ac solide explicat, ut non immerito integerrimum, pulcherrimum, absolutissimumque controversiarum omnium corpus appellari queat; dignum profecto cum primis est, quod ad plurimorum utilitatem multo maximam typis producat.

*Ita sentio ego Albertus Hungerus, Sac. Theologiae Doct. Professor, et Procancellarius in alma Academia Ingolstadiensi.*

Cum D. Roberti Bellarmini, Societatis Jesu, exactissima controversiarum, quæ Catholicis cum hæreticis, et novatoribus intercedunt, discussio, singularem Christianæ veritati lucem afferat, ad majorem Reipublicæ Christianæ utilitatem, maximam vero Sectoriorum confusionem, publicari potest, et debet.

*Ita censui Petrus Stevartius Deodius, Sac. Theologiae Doct. et Professor, ac ejusdem facultatis Ingolstadii pro tempore Decanus.*

Cætera Bellarmini opera similibus approbationibus corroborantur et facile esset eas hic congerere: sed hæc sufficiant. Nunc, ut in medio stet virtus, non tacenda est censura, licet indigna. Fatendum est ergo; Bellarmino adhuc superstiti, multi in eum insurrexerunt et ei pluries conscribenda fuit apologia. Amesius Calvinista notanter in Disputationum corpus ita invectus est ut, ni forent vindiciæ Bellarminianæ, totum perisset. Etiam inter catholicos, fuit quidam, stultus quidem, qui uno ore et Baronium et Bellarminum vorare tentavit, sed helluo præ ambitione suffocatus est. Nostris temporibus et admodum recenter, Maretus, Facultatis theologicæ, sed non canonicæ, decanus et episcopus in partibus infidelium, in opere quod inscripsit: *De Concilio generali et pace religiosa*, Bellarminum agit ut imbellem Scholæ Italicæ (non audet dicere Romanæ) magistrum, jamjam a Bossuetio devictum, et, quod mirum est, iterum a Mareto devincendum. Sed hic confutatione non opus est, cum abundet confusio: Maretus enim, solus Scholæ Mareticæ doctor et discipulus, satis manifestat quam

male olet Facultas in partibus Sorbonicorum; et cum cæteri, ut aiunt, non sine superbia, in nostros doctores arma nudarent, non esset timendi locus. Bellarminus et alii, tum aliorum conviciis, tum eorum meritis, ut veritatis Romanæ præcones, manent in æternum; et Gallicanistæ, licet victores superbi, licet docti et sapientes, licet Sorbonistæ, et divites et honoribus redundantes, adversus petram Romanam non prævalebunt.

## § II.

*De seligendo novæ editionis textu et ordinanda materia.*

In iterum excudendis doctorum libris, omni ope et opera nitendum est ut prior textus inveniat et detur vera auctoris sententia.

Atvero multæ sunt Bellarmini editiones, quarum indicationem reperies apud Gustavium Brunet, in Bibliopœ Manuali. Pro controversiarum corpore, expurgatio editio erat quondam Parisiensis, vulgo Triadelphorum; at nunc cedit Pragensi quæ prodiit anno 1721 et, ut prior, quatuor constat tomis. Altera editio erat Coloniensis, anno 1619 typis mandata, et Commentaria super Psalmos, Sermones, Tractatum de Scripturis ecclesiasticis tantum continens. Plura interea Romæ prodierant opuscula spiritualia, Grammatica hebraica et Tractatus de Episcoporum officiis.

Inter editiones completas, prima, ni fallimur, debetur Sixto Quinto, magno illi Pontifici, qui S. Thomam Aquinatem, S. Bonaventuram et alios multos edi jussit tanquam faustiora reipublicæ christianæ præsidia: Huic Sixtianæ editioni jam accedit duplex index: alter locorum Scripturæ Sacræ in Operibus expositorum, alter rerum et verborum notabilium. Secunda completa editio est Lugdunensis, anno 1596, apud Joannem Pillehote, sub signo nominis Jesu: in qua editione, duplex index, eo longe copiosior est, qui antea constructus fuerat; augetur insuper indice theologorum et scriptorum in opere citatorum, indice sectariorum et hæreticorum quorum errores perstringuntur et elencho locorum controversorum, qui a priscis Patribus Orientis et Occidentis deprompti sunt, in veritatis tutelam et Catholicæ doctrinæ assertionem. Tertia editio est Veneta, quæ prodiit anno 1599, correctionibus et additionibus auctoris in fine, necnon indicibus locupletissimis nobilitatur, et quum pluries recusa fuerit, tum Venetiis, tum Mediolani, in concinnandis istis editionibus plura superaddita sunt, no-

tanter, pro controversiarum corpore, Vindiciæ Bellarminianæ, auctore Vito Erbmann, Societatis Jesu Theologo, et, pro Tractatu de Scripturis ecclesiasticis, dissertatio philologica et historica Philippi Labbe, necnon supplementum de scriptis et scriptibus a Bellarmino omissis, ad annum 1460, vel ad artem typographicam inventam. Fuit autem, si infideli memoriæ creditur, et altera editio Ingolstadiensis.

Inter recentiores, cœpta fuerat editio Germanica, quæ ad finem non devenit. Duo tantum numerandæ sunt completæ editiones, scilicet: Romana ab anno 1830 ad annum 1840; et Neapolitana, annis 1859-1860: ambæ ex Veneta editione, pluribus tum correctis, tum additis, sed licet omnibus revisis, mendis debonestantur plurimis, præsertim Neapolitana.

In seligendo præsentis editionis textu, pro lege habuimus Bellarmini voto deferre et anteriorum editorum imitari exempla. Cum vero, multis abhinc annis, pro archetypo teneatur editio Veneta et cum Bellarminus ipse hanc declaraverit sub omni respectu meliorem et velut definitivam mentis expressionem exhibuerit, hanc elegimus. At, in editione Veneta, plura erant typographorum errata quæ correximus. Aliunde, in hac editione, plura addita vel correctæ, ad voluminum calcem fuerant rejecta quæ, loco indicato, ad Neapolitani editoris instar, posuimus. Sic emendatissimus evadet textus et nisi, imbecillitate nostra, plurima caderent, nobis tandem liceret verum et integrum Bellarminum venditare.

Cum, in editione Veneta, plurima deficiant, notanter sermones et ascetica opuscula, hæc ex cæteris editionibus desumpsimus.

In ordinanda vero materiarum distributione, primo Bellarmini vitæ epitomem præposuimus, deinde Recognitiones librorum suorum, auctore Bellarmino, licet in excudendis disputationibus plurima correctæ sint quæ hic corrigenda dicuntur. Ut Augustinus Hipponensis et Alphonsus de Liguorio, Bellarminus fecit hanc intellectus confessionem non raro cordis confessione difficiliorem, quam frustra requirimus in Bosuetii Meldensis et plurimorum aliorum operibus. Omnis homo mendax: hic mendacior qui infirmitatem non confitetur; ille fortior qui se humiliat.

Hæc autem editio in plures partes distribuitur:

Prima pars constat quindecim controversiis generalibus, juxta logicum auctoris ordinem, sibi invicem succedentibus;

Secunda pars continet opuscula controversias illustrantia: hæc autem opuscula possent in duas partes iterum subdistingui, quarum una de punctis specialibus tractat, altera præbet, in tractatu de Scripturis ecclesiasticis, velut *Lexicon Patristicum*;

Tertia pars commentario super Psalmos efficitur;

Quarta pars comprehendit Sermones;

Quinta pars affert opuscula spiritalia;

Sexta pars, si nostris votis annuit, epistolis et anecdotis constabit et fiat ut possimus hanc, pro desiderio nostro, partem constituere.

Nunc moris est, in eudendis libris veteribus, scholias multiplicare, varias lectiones proferre et notis expressis ad fontes remittere. Morem sequimur, sed necessitatis aut utilitatis mensura tantum et eo modo quem hic volumus explicare.

Quoad varia Scripturæ sacræ testimonia, hæc in textu servamus, ut a Bellarmino producta fuerant. At cum scripserit auctor noster ante Clementinam Bibliæ sacræ correctionem, sæpe textum profert Vulgatæ non omnimode conformem. Prolatus autem textus, cum discussioni locum dat aut argumentationi vim affert, non erat corrigendus; aliter, ex illo correcto secuta fuisset auctorem ipsum corrigendi necessitas; et insuper, in illo correcto idem fuisset anachronismus, ac si, in antiquis Patribus, nostra dabatur Vulgata. Sed quia retinenda est Ecclesiæ correctio, in notis indicamus citatum Scripturæ locum: numerus Romanus indicat librum et caput, numerus Arabicus indicat versiculum; et sic unusquisque theologus genuinos textus sibi quam facillime poterit comparare.

Quoad varia Patrum testimonia et testimoniorum auctoritatem, triplici modo a Bellarmino proferuntur: primo modo, auctoris nomen tantum inscribitur; secundo modo, cum auctoris nomine, datur operis titulus et aliquoties cum indicatione libri, capituli et numeri; tertio modo, post has indicationes, datur textus. Cum auctor traditionis argumento uti soleat, hæc omnia, si in notis recensenda fuissent cum omnibus annexis indicationibus numerorum, auctorum et librorum, hic eo magis necessariis quod minus abundat Bellarminus, notarum amplitudo auctoris textum superasset. Imo, hæ notæ fusissimæ et multiplicatissimæ, ob fusionem evasissent obscuræ et ob multiplicationem inutiles. Cum dantur aliunde, in operum cursu, et Elenchus locorum controversorum cum remissione ad Patres et Dictionarium patristicum cum Patribus a perillustri abbate Migne editis concordans, satius duximus omnia in statu quo ante permittere. Sic egerant jam omnes, nec uno excepto, Bellarmini editores.

Patres ergo, prout Bellarminus hos indicavit, proferuntur. Indicationes generales, ut liber, pars, etc. numero Romano indicantur; divisiones particulares, ut caput, oratio, catechesis, articulus, etc. numero Arabico. Hinc sequitur inter numerationem Scripturalem et numerationem Patristicam, quædem differentia. Hæc autem differentia ex eo provenit quod, in Patribus, non datur versiculum, et prout ut distinguantur oculo notæ ut luceant et vere prosint, ponenda erat typographica differentia: nam, ob numerorum multitudinem quasi infinitam, uniformitas minus lucem peperisset quam genuisset confusionem.

Quoad Concilia, cum indicatur Concilii locus et numerus chronologicus; cum ponitur canon, aut caput, aut decretum: inveniuntur apud Binium, Labbe, Hardouin, Mansi et alibi apud alios, parum refert. Indicatio sufficit, et unusquisque, pro armamentariorum divitiis, facillime quæ desideraret, inveniet.

Apud Bellarminum, multi citantur hæretici et sectarii; multi adducuntur historici, theologi, scripturæ interpretes, canonistæ, quorum indicantur, opera sive vulgata, sive antiquata. Cum agitur de libris vulgatis, ut Baronii Annales et sancti Thomæ opera, vix opus est morari, quod in omnium manibus versentur. Cum autem de his libris qui vel perierunt, vel in bibliothecarum ignotarum pulvere dormiunt, vix satis fuisset Mathusalem vita ut exquiri possint. Quæ adduxit auctor, pro fide pio Cardinali debita, credenda sunt.

Cæterum nemo potest oblivisci Bellarminianas disputationes non semel a Protestantibus refutatas fuisse. Porro declarant adversarii a Bellarmino eorum objecta exacte prolata, rationes eorum fidenter auditas et omnia pro honoris legibus facta. Strenuus athleta, postquam adversarii thesim proposuit, eam deturbat fidei armis et scientiæ probationibus. Cum autem a Bellarmino adducta testimonia vim faciant argumentationis, invidio adversariorum oculo rimata sunt. Omnes tum Scripturæ, tum Patrum et Conciliorum textus, ad fidem manuseriptorum codicum et eusorum librorum reducti, accepti sunt ad pugnam ut veri et authentici. Nullus ergo remaneat timor ne fictis aut falsis depugnetur armis: lucis arma tantum proferuntur et in hoc conflictu, quod lucet non nocet, aut si infliguntur vulnera, sunt amici vulnera et feliciores victi quam victores. Quid amplius? Victores et victi, per veritatem fratres, sibi invicem gratulantur pro fide propugnata, et detecta et quod omnia omnibus facta sunt, omnes æque superabundant.

Hæc scribebam octavo Decembris die anni 1869, Lutosæ diocesis Lingonensis in Gallia, dum episcopi, Romæ congregati, ad Petri sepulcrum convenirent in Concilio generali. Cum solus in cubiculo hæc, coram Deo, profiteor, pulsantur campana, reboant sancti Michaelis Archangeli tonitrua, universalis alacri gaudio exultat Ecclesia, quod totius orbis episcopi clamant: Petrus per Pium locutus est! O utinam, ex hoc Concilio prodeant definitiones dogmaticæ præsertim infallibilitatis Papæ et Assumptionis Mariæ; fiant canones et decreta quæ sint controversiarum finis, fidei et caritatis extensio ad ultimum terræ, et, ut omnia uno verbo dicam, gesta Dei per episcopos, ad majorem Sedis Apostolicæ gloriam.

Hæc dum fidenter expectamus, sit omnibus Concilium oratio, meditatio, studium, quies et spes, ut abundantem Spiritus sancti luminem partem recipere possimus.

Dixi. Valè, studiose lector, et ora pro me, qui oras pro te, ut in ambobus sit semper et super omnia Christus.

## EPITOME VITÆ

SIVE ELOGIUM ROBERTI S. R. E. CARDINALIS BELLARMINI EXSCRIPTUM E BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM SOCIETATIS JESU IMPRESSA ROMÆ ANNO 1676, AUCTORIBUS PATRI-  
BUS PHILIPPO ALEGAMBE, ET NATHANAËLE SOTUELLO EJUSDEM SOCIETATIS,

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, natione Italus, patria Politianus, Marcelli II, Pontificia Maximi, sororis Cynthiæ Cervinæ filius, adolescentulus se Deo in nostra Societate consecravit die 20 Septembris anno salutis 1560, ætatis suæ 18, atque excellenti ingenio, magno judicio, improbo et pertinaci studio liberales artes didicit, docuit, et professus est. Valuit sacra eloquentia plurimum, et summa cum admiratione omnium, atque insigni fructu celeberrimis in locis concionatus est, priusquam per ætatem Sacerdos esse posset. Eo sacro Ordine, Gandavi a Cornelio Jansenio illius Urbis Antistite inauguratus est anno 1569, et postero sacram doctrinam Lovanii explicare exorsus est, primus qui de Societate id ea in Urbe præstitit: fausto principio, etiamsi questiones adhuc non ita multas ex Prima tantum, Tertiæque Parte S. Thomæ audivisset. Rumor autem, quem excitavit in tradenda Theologia, auditus est adeo late, ut fere fidem excedat, unde et primus in Academia honores obtinuit, habitus semper ab omnibus magister. Hanc tantam sapientiæ laudem cum ornaret paribus incrementis virtutum, jussus est die 6 Julii anni 1572, quartum Societatis solemne votum tribus aliis addere, quæ ex Pii Quinti decreto in Sacerdotii susceptione prius eviderat. Post septennium, quam in Belgium venerat, repetivit Italianam, et Romæ primus Sociorum prælectionem de controversiis fidei suscepit anno 1576, tanta præstantia, ut famam per se celeberrimam longe etiam superarit. Anno 1590, missus a Sixto Quinto Pont. Max. in Gallias est cum Henrico Cardinali Cajetano Legato, ut si quid de rebus ad fidem spectantibus, tractari oporteret, ipse esset in promptu. Inde, post 10 menses redux, jubente Gregorio XV, sacra Biblia unus et paucis ad id designatis liberavit erratis, quæ in primam Editionem a Sixto imperatam irrepserant, et Præfationem ipse composuit, quæ impressa hodieque prælegitur, et castigaverat antea jam Biblia Regia imperante Gregorio X, quorum Chaldea Paraphrasis Rabbini scabebat erroribus. Anno 1597, Romani Collegii Rector, et nondum circumacto triennio, Neapolitane Provinciæ Prepositus est appellatus. Utramque Præfecturam incredibili sociorum bono administravit, donec vita functo Francisco Cardinali Toletò a Clemente V, Pont. Maximo, anno inuente 1597, Romam accitus est, ut ejus locum implet. Adscriptus paulo post inter eos est, qui sacre Inquisitioni sunt a Consiliis; examini Episcoporum prepositus. Cumque Rector in Penitentiario Collegio factus esset, vix lapso bimestri die 3 Martii, anno 1599, ab eodem Clemente Cardinalis nominatus est, cum hoc elogio; « Hunc elegimus quia non habet parem Ecclesie Dei, quoad doctrinam, et quia est nepos optimi, et sanctissimi Pontificis. » Cum autem se subtrahere moliretur sub anathemate vetitus est repugnare, sic publice utilitati serviendo inducta sunt Cardinalis insignia lacrymantia. Hinc factum, ut quamvis esset sacra Purpura donatus, nihil tamen de pristina modestia mutaverit, suique omnino similis, et pauper Societatis Jesu presbyter, et Ecclesie Romane Princeps idem semper fuerit, in unum religiose vi-

te, et sacre dignitatis munia conjungens. Triennio post acceptam Purpuram, Ecclesie Capuanae Archiepiscopus ab ipso Clemente Pont. die 21 Aprilis anno 1602, inauguratus est, acclamante Sacro Collegio, uti testatur Card. Baronius ad annum Christi 968: « Dignus Dignus. » Qualis fuerit ejus administratio in ea Ecclesia, tum maximo patuit cum per obitum Clementis VIII, anno 1605, ad nova Comitum Romanorum abire debuit. Cum enim populo de suggestu valediceret, omniareturque se minime reversurum, lacrymæ omnibus obortæ sunt, quas clamor excepit, et luctus publicus, cum dicerent universi: « Ne derelinquas nos, Pastor bone, ne deseras nos, nos orphanos, sub te, quæ peccavimus, Pater, filii, emendabimus. » Pestridie adfuit mesta Civitas, et cum primum Cardinalis in conspectu fuit, repente cum fletu clamor exortus est, Pastorem, Parentem, Tutorem, Confidens vocibus appellantium, suamque orbitatem lamentantium: vestis laciniæ exosculabantur nonnulli; alii rosariis pie contingebant, omnes benedictionem flagitabant. Novus Pontifex Paulus V, mox ut electus est, vetuit Bellarminum abire a suo latere, ejus vellet consilii plurimum uti. Ea causa ipsi fuit Ecclesie Capuanae renuntiandi, quod nollet gregi præesse, cui non se posset exhibere præsentem. Procuravit tamen caritatis officio Politianam tantisper Ecclesiam, dum abesset in Gallias Legatus, Anastes ejus Ubaldinus; et Coelestini Ordinis, ac Monasterii S. Marthe Germanicæ Collegii patrocinium admisit. Vixit in purpura Robertus, summis Ecclesie negotiis admotus, usque ad annum salutis 1621, quo propter ingravescentes annos, et egritudinis setatem, impetrata ab occupationibus publicis missione die 16. Augusti, ex Vaticano secessit in Domum nostram Probationis S. Andree, et paulo post febris tentari cepit, quo tempore mortem sibi ominatus, canere auditus est: « Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. » Exprimi non potest, quam fuerit illi jucunda cogitatio propinque mortis. Omnino in hoc argumento multus erat, ut ostenderet vivendi fastidium, et incredibilem sitim eternitatis. Invisit eum decumbentem Gregorius XV, Pont. Max. ac bis peramanter amplexus, Sacrum se pro ejus valetudine facturum promisit. Ipse Christi Vicarium obsequiosissime reveritus, usurpavit illud Centurionis: « Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. » Postquam Sacramentis munitus est, mandavit P. Andree Eudemonianni intimo suo, ut testaretur litteris se per Dei misericordiam in Ecclesia Catholica, atque in fide decedere, quam ad eam diem et sincero coluisset animo, et suis voluminibus defendisset; ac ne de divinis quidem auxiliis aliter morientem sentire, vel unquam sensitse, quam in Controversiarum libris docuisset. Ubi imminere felicissimi transitus horam sensit, Apostolicum Symbolum, Psalmum L, Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam sæpius recitavit, interponens subinde suavissima Jesu ac Mariæ nomina, tum sacram Christi cruci affixi effligem, detracto sibi pileolo, capiti venerabundus imposuit, et reductis brachiis ad pectus strinxit, ac demum inter nostrorum preces leniter anhelans spiritum Conditori suo placidissime tradidit die 17 Septembris anno salutis 1621, et 79 ætatis. Funus illi jubente Pontifice, comparatum est eo splendore, quo Cardinalibus fieri consuevit, sed adversus undam populi concursantis ad osculum, tactumque sacri pignoris, adhibere oportuit Helveticos et stipulatoribus Pontificiis. Decimo post die parentavit illi Societas, Tarquinio Galluccio perorante. Quidquid rerum in usu habuit, raptum distractumque in postulas est ad venerationem. Anno vertente, in vacuum S. Ignatii Parentis nostri tumulum corpus ejus illatum est, cui honorarium e lapidibus versicoloribus, ac statutis dispositis monumentum Odoardus Cardinalis Farnesius addidit cum hac Inscriptione:

ROBERTO CARDINALI BELLARMINO, POLITIANO E SOCIETATE JESU, MARCELLI II. P. M. SORORIS FILIO, ODOARDO CARDINALIS FARNESIUS, SUI, ERGA VIRUM, QUEM PATRIS LOCO SEMPER COLUIT, AMORIS NUNQUAM MORITURI MONUMENTUM POS. OBDORMIVIT IN DOMINO ANNO SAL. MDCXXI. ÆTATIS SUE LXXIX.

De Religione porro Roberti Bellarmini, pietate, demissione animi, modestia, ceterisque virtutibus, de miraculis etiam, et prophetiis predictionibus, aliisque ornamentis, tacere melius puto, ut illa de Carthagine sit, quam pauca dicere, omnia vero complecti voluminis justus est opus; est in manibus ejus vita luculenter descripta, que sitim possit extinguere, minutius ejus decora cognoscere cupientis. Ego satis habuero, pauca de ipso clarissimorum hominum suffragia præsentare.

Mapheus Barberinus Cardinalis, qui jam Urbanus VIII est, dicebat Bellarminum etiam tum viventem a se tam æstimari Sanctum, atque alios, qui antiquitatis etiam adjuncta commendatione

publicam habent venerationem, nec dubitavit illum in quodam carmine S. Carolo Borromæo virtute geminum facere.

Cardinalis a Monte, Deum aiebat commodare usibus Ecclesie exemplar hoc perfectissimum voluisse, ut sacer Senatus, ac seculum nostrum ab illo, uti superius seculum a S. Carolo, illustraretur.

Cardinalis Bandinus adsimilem dicit Sanctis Ecclesie Doctoribus, tum in doctrina, tum in moribus, semper vero visum exemplar excogitatisimum Præsulum Ecclesiasticorum, et sacri Collegii singulare lumen.

Cardinalis Estensis vocat singulare exemplar nostrorum temporum, quem non honoraret ut Cardinalem, sed honoraret ut Sanctum, in cujus obitu magnum acceperat damnum Ecclesia Dei.

Cardinalis Verallus ipsum ait ita vixisse, ut exemplar, unde sumere virtutem Cardinales possent et Ecclesiastici omnes; ita scripsisse, ut alter nostri seculi Augustinus haberi possit.

Cardinalis Cobellutus ait excedente illo, cecidisse coronam capitis sacro Senatui, qui fuerit Ecclesie sancte lumen grande.

Cardinalis Ubaldinus existimat hoc seculo neminem fuisse illo potiorum sanctæ Fidei defensorem, ut merito possit appellari Athanasius, atque Augustinus setatis nostre; denique Doctrina sanctis Ecclesie Doctoribus parem, virtute speculum sanctimonie, Purpura formam fuisse Ecclesiasticorum.

Cardinalis Centinus appellat Hæreticorum malleum, sanctæ Ecclesie propugnaculum, Christianæ Fidei columnam, Catholicæ veritatis assertorem et vindicem.

Cardinalis Valerius ait se haud reperisse tot virtutes in multis, quos noverat, viris laudatissimis simul omnibus, quot repererat gradu quodam eccellente in uno hoc magno Christi athleta, in hoc magno Apostolo seculi nostri.

Cardinalis Ursinus celebrat in eo casitatem in florenti sevo, quo perinde atque in Josepho; paupertatem inter divitias, sicut in Davide; liberalitatem in egestate, uti in Tobia; solitudinem interiorum inter aule occupationes tamquam in Gregorio; humilem opinionem de se in conferta multitudine virtutum excellentissimarum, ut in Paulo; denique liberam vocem erga Dominantes, ut in Joanne Baptista.

Cardinalis a Sabaudia eum in honore a se habitum ait, propter doctrinæ miraculum, qua Hæreticos religionis propugnator affixit, atque adeo propter integritatis, sanctimonieque ejus laudem. Cardinalis de Sourdus vocat sidus, malleum Hæreticorum, verticem Theologorum hujus seculi.

Atque ut velut per saturam colligam ex ceteris aliqua, dictus est vitæ cælestis ac perfectæ Magister, et Dux, qui intra limites sevi sui neminem habuerit majorem se, validus Ecclesie Dei colossus; piissimus fidei athleta, et Hæreticorum hostis acerrimus; novus Antoninus in sublevandis pauperibus; in vitæ perfectione Basilius; in confutandis Hæreticis Irenæus a Divina providentia destinatus; nunquam satis laudatus nostro seculo, et posterioribus semper laudandus: Tutor, Præses, Consiliarius, Senator Christianæ Reipubl. magnus: magnum Ecclesie columnam: lucerna lucens in caliginoso loco, tenebrasque omnes discutiens; rerum divinarum consultissimus; amplissimi Ordinis, suique seculi ornamentum: hæresum debellator, novus Alcides Aquilonis; exitium pietatis Christianæ, et eruditionis omnimodæ nostri sevi sidus, Romanæ sacræ Purpure decus immortalis in medio Ecclesie a Deo positus, tanquam lucerna lucens et ardens; sacræ militiæ Princeps, ingens gloria temporum suorum, et sexcenta in hanc sententiam elogia, que brevitati condono. Hinc continuata semper per annos amplius 50, atque etiam aucta de sanctitate hujus celebratissimi Cardinalis fama, jussu Sanctissimi P. N. Clementis X. denuo institutus est hoc anno 1674, a S. Congregatione Rituum processus, de Vita, et miraculis ejusdem, ut in Beatorum album, si legitime de requisitis ad id constiterit, referatur. Scripsit porro Robertus Bellarminus:

*De controversiis Christianæ fidei adversus sui temporis Hæreticos.* Opus spissum sane, atque operosum, et omnibus numeris absolutum in Tomo III, distinctum, et 64 libris comprehensum, cujus Tomus I, primum prodit anno 1581, Tomus II, anno 1583, Tomus III, anno 1592. Sed exinde in solo Septentrione vigesimam habuit editionem: et quanti sit factum in Ecclesia Dei, declarant Scriptores celeberrimi: Cardinalis Perronius plaris assertit a se illud fieri, quam ullum opus aliud quod vel ab annis mille sit editum pro Ecclesie defensione, Cardinalis Baronius censet esse propu-